

verò? in *Pinifero*? Sic quidem creditum huc usque & ab inclytis Scriptoribus, Historicis, Geographis, Poëtis, Physicis; *Conrado Celte, Brotuffio, Bruschio, Willichio, Agricola, Albino, Mercatore, Hondio, Cluvero*, aliisque, hinc prolixius non adducendis, traditum, de quatuor, in mundi plagas quatuor fluminibus, ex unico fluentibus *Pinifero*. Invitus tot tantisque contradico; cogor tamen veritati, cogor oculis habere fidem. Scio, & *Mœnum* cum *Egra, Nabumq;* scaturigines *Pinifero* & summo stagno in cacumine, debere. Nego interim, debere illas illi *Salam*. Milliari uno alteroq; distat à *Pinifero Monachomontum*, (*Münchsberg*/) in ejusdem sylva (unter den drey Hieben/ ut vocantur) *Sala* oritur, petitq; *Variscorum Curiam*, & justum fluminis mensuram implet ibi, indeq; meretur nomen. *Sala* ab antiquo Germanorum voce *Saal*/ *Palatio*, aut *Curia*. Quemadmodum *Uppsalia*, ab *up Sala/Sveonum*; vetustissima metropoli, & à *Sala*, sive *Isala* (in fossam *Dru-sianam Rheni*, influens *Zutphaniam, Daventrianq;* versus) *Franci Salij & Salici* vocati; testimonio *Pontani* solido l. i. Origin. Francic. c. 9. ita non sufficienter constat, à *Francia* *Salisburgo, Ganerbinor.* antiquor. castro, Regia, *Conradi* olim *Salici*, quod *Sala* flumen aliud, distinctum ortu, flexu ambituq; alluit, vocatam legem *Salicam*; ut censuit *Webner*, observat. practic. c. 2. p. 189. nuperque admodum in Lex. ad hanc vocem *Hofmannus P. P. Basiliens.* Quicquid de his deniq; habendum sit; elogio contenti sumus *Leonbardi Thurneisseri*, toto quondam Orbe noti versatiqve, opere de Aquis mineralibus in primis lib. 7. c. 37. f. 254. Wir haben hie nicht ein klein Wunderwerck der Natur / und unter allen andern *Salmünnen* Europæ, am Fluss den reichesten zu beschreiben. Dieser ligt im Land zu Sachsen / innerhalb der Bischöflichen Stadt Hall. &c.